

FERIA IN CHRISTMASTIDE

[Errors? help@extraordinaryform.org](#)

INTROIT **Isaias 9: 6**

Puer natus est nobis, et filius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus magni consílii Ángelus. (Ps. 97:1) Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabilia fecit. Glória Patri et Fílio et Spíritui Sancto, sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Puer natus est nobis, et filius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus magni consílii Ángelus.

COLLECT

Deus, qui salútis æternæ, beátæ Mariæ virginitáte fecúnda, humano géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

EPISTLE **Titus 2: 11-15**

Caríssime: Appáruit grátia Dei Salvatoris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria, sóbrie et juste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei et semetípsium nostri Jesu Christi: qui dedit semetípsium pro nobis: ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere et exhortáre: in Christo Jesu, Dómino nostro.

GRADUAL **Psalms 97: 3; 97: 2**

Viderunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri: jubilate Deo, omnis terra. Notum fecit Dominus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit iustitiam suam.

LESSER ALLELUIA **Hebrews 1: 1-2**

Allelúja, allelúja. Multifárie olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio. Allelúja.

GOSPEL **Luke 2: 21**

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer: vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Ángelo, priúsqvam in útero conciperétur.

OFFERTORY **Psalms 88: 12, 15**

Tui sunt cæli et tua est terra: orbem terrárum et plenitúdinem ejus tu fundásti: justítia et júdícium præparátio sedis tuæ.

SECRET

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsqve suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

PREFACE OF THE NATIVITY

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus. Quia per incarnáti Verbi mystérium nova mentis nostræ óculis lux tuæ claritátis infúlsit: ut dum visibíliter Deum cognóscimus, per hunc invisibílium amórem rapiámur. Et ideo cum Ángelis et Archángelis, cum Thronis et Dóminatió nibus, cumque omni militía cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus sine fine dicéntes:

COMMUNION **Psalms 97: 3**

Viderunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

POSTCOMMUNION

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genetríce María, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúndem Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

A Child is born to us, and a Son is given to us: whose government is upon His shoulder: and His name shall be called, the Angel of great counsel. (Ps. 97:1) Sing ye to the Lord a new canticle: because He hath done wonderful things. Glory be to the Father, and to the Son, and to the Holy Spirit, as it was in the beginning, is now, and ever shall be, world without end. Amen. A Child is born to us, and a Son is given to us: whose government is upon His shoulder: and His name shall be called, the Angel of great counsel.

O God, Who through the fruitful virginity of blessed Mary didst secure for mankind the reward of eternal salvation: grant, we beseech Thee, that we may experience her intercession for us, through whom we have been made worthy to receive the Author of life, our Lord Jesus Christ, Thy Son: Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.

Dearly beloved: The grace of God our Savior hath appeared to all men, instructing us, that, denying ungodliness and worldly desires, we should live soberly and justly and godly in this world, looking for the blessed hope and coming of the glory of the great God and our Savior Jesus Christ: Who gave Himself for us, that He might redeem us from all iniquity, and might cleanse to Himself a people acceptable, a pursuer of good works. These things speak and exhort: in Christ Jesus our Lord.

All the ends of the earth have seen the salvation of our God: sing joyfully to God, all the earth. The Lord hath made known His salvation: He hath revealed His justice in the sight of the nations.

Alleluia, alleluia. God, Who in divers manners spoke in times past to the fathers by the prophets, last of all in these days hath spoken to us by His Son. Alleluia.

At that time, after eight days were accomplished, that the Child should be circumcised: His Name was called Jesus, which was called by the Angel before he was conceived in the womb.

Thine are the heavens, and Thine is the earth, the world and the fullness thereof Thou hast founded: justice and judgment are the preparation of Thy throne.

Receive, we beseech Thee, O Lord, our offerings and prayers, cleansing us by these heavenly mysteries, and mercifully hearing us. Through our Lord Jesus Christ, Thy Son, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.

It is truly meet and just, right and for our salvation, that we should at all times and in all places, give thanks unto Thee, O holy Lord, Father almighty, everlasting God: for through the Mystery of the word made flesh, the new light of Thy glory hath shone upon the eyes of our mind, so that while we acknowledge God in visible form, we may be through Him be drawn to the love of things invisible. And therefore with Angels and Archangels, with Thrones and Dóminations, and with all the hosts of the heavenly army, we sing the hymn of Thy glory, evermore saying:

All the ends of the earth have seen the salvation of our God.

May this communion, O Lord, cleanse us from all sin, and by the intercession of the blessed Virgin Mary, Mother of God, make us partakers of the heavenly remedy. Through the same Jesus Christ, Thy Son, our Lord, Who lives and reigns with Thee in the unity of the Holy Spirit, God, forever and ever.